www.e-rara.ch

Hecuba et Iphigenia in Aulide

Euripides

Venetiis, mense decembri 1507

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-83348

Erasmi Roterodami de laudibus Britanniae, regisque Henrici Septimi (...).

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

Et mortuam conspexit, et uiuam, dies.
Ch Vt ista uolupe est, tibi ferentem nuntium
Audire, porro cœlitum in consortio
Transigere uitam pignus affirmat tuum.
Cly. Quis te deorum gnata rapuit?
Qui te compellabo rite?
Quid dicam, aut quid suspicer? an ne hoc
Mihi frustra blandirier his uerbis,
Tristi ut luctu tui desistam?
Ch Atqui huc Agamemnon uenit ductor,
Vnde hæc ipsa possis audire.
Ag. Vxor, beati filiæ caussa sumus
Forsan futuri. quippe certum est, cœlitum
Illam in deûm manere contubernio.
At tibi puello hoc pariter abducto, domus
Repetenda. siquidem ut nauigare copiæ
Properent. uides. Valeto. colloquar diu
Troia reuersus, & interim tibi sit bene.
Ch Felix Atrida terram adi phrygiam,
Felix redito.
Mihi pulcherrima abs Troia spolia huc reportans.

FINIS.

Erasmi Roterodami de laudibus Britanniæ, Regisq; Henrici Septimi, ac regiorum liberorum, carmine hexametro, et Iambico trimetro acatalectico,

BRITANNIA LOQVITVR.

I iactare licet magnorum munera diuûm,
Sibiq; ueris fas placere dotibus,
Cur mihi non uidear fortunatissima tellus.

Digna

Digna est malis, bona quæ parum nouit sua,
Vtima lanigeris animosa est India lucis.
Suis superbus est Arabs odoribus.
Thuriferis gaudet Panchaia diues harenis.
Ibera flumen terra iactat aureum.
Aegypto faciunt animos septem ostia Nili.
Laudata Rheni uina tollunt accolas.
Læta nec uberibus sibi displicet Aphricæ glebis.
Hæc portubus superbit illa mercibus.
At mihi nec fontes, nec ditia flumina desunt,
Sulci ue pingues, prata nec ridentia.
Fœta uiris. fœcunda feris. fœcunda metallis.
Ne glorier, q ambiens largas opes,
Porrigit Oceanus, neu q nec amicius ulla
Cœlum, nec aura dulcius spirat plagæ.
Serus in occiduas mihi Phœbus conditur undas,
Sororq; noctes blanda ducit lucidas.
Possem ego laudati contemnere uellera Bœti.
Vbi uillus albis mollior bidentibus?
Et tua non nequeam miracula temnere Memphi.
Verum illa maior, iustiorq; gloria,
Quod Latiis, q sum celebrata Britannia Graiis,
Orbem uetustas, q uocauit alterum.
Non tamen hæc iacto. nam sunt antiqua. sed inde
Attollo cristas, ac triumpho serio,
Quod mihi rex pulchri pars est pulcherrima regni,
Rex unicum huius seculi miraculum.
Instructus pariter Martisq;, & Palladis armis,
Belli peritus, pacis est amantior.
Indulgens aliis, sibi nil permittit, habenas
Suis relaxans ciuibus, stringit sibi.

Hoc regnum ille putat, patriæ cariſſimus eſſe
Blandus bonis, ſolis timendus impiis,
Non Deciis ſua Roma: ſuo non Attica Codro
Pluris fuit, factis redempta mutuis.
Numinis ac cœli tanta eſt reuerentia, quanta
Nec erat Metello, nec marito Aegeriæ.
Non mellita magis Pylio facundia regi,
Nec Cæſari mens maior, aut ſublimior.
Nec Mœcenati uel dextra benignior unquam,
Vel ſanguinis tam magna parſimonia.
Creditus Aeneas Veneris de ſemine cretus.
Dictus parente Scipio ſatus Ioue.
Quid ſi priſca meum uidiſſent ſecula Regem,
Hoc ore tam decente, tali pectore?
Non ne Iouem humanis ipſum ſuccurrere rebus,
Noſtro latentem credidiſſent corpore?
Atq; hic ſemper erit magni mihi numinis inſtar,
Mecus hic Apollo ſeculi pater aurei.
Hoc oriente meis gens ferrea ceſſit aboris,
Fraudes reuerſa Aſtrea diſtulit malas.
Non ſecus ac toto uaneſcunt ſidera cœlo
Simul ore Titan emicauit igneo.
Claudere iam Ianum fas eſt, iam ducere longas
Cuſtode rerum tam potente ferias.
Me miſeram cur huic æternos Iuppiter annos
Non addidiſti, cuncta cum donaueris?
Nolunt noſtra ſuis æquari numina regnis.
At ſi qua magnos uota tangunt cœlites,
Sæuus ſidereas certe reſeratur in arces,
Fatale ſera ſtamen amputet Atropos.
Finit Alades ſpecioſos morte labores,

Debetur

Debetur altum regibus cœlum bonis.
Hunc repetant superi, sed tum, cum Nestoris ævum,
Vbi senectam uicerit Titoniam
Et uiuet tamen usq; mihi, dum regia proles
Referet parentis nomen, os, & indolem.
Quæ mihi purpureis iam quinta adolescit in aulis;
Regum futuri tres patres, matres duæ.
Non aliter pictis Pesti uernantis in hortis,
Almo nitentes rore pubescunt rosæ,
Formosæ Veneri flos acceptissimus, et quo
Nec spirat alter, aut renidet blandius,
Nec cui nexilibus sit gratia tanta coronis,
Ambire solus regiam dignis comam.
Hic ubi cultoris lasciua industria docti,
Miscere gaudet punicantes candidis,
Purima'q; in spina rutilat rosa, & albicat, una
Vt lacteum si muricet iungas ebur.
Omnibus idem odor est. ros omnes educat idem.
Eadem iuuenta. forma par idem frutex.
Atq; eadem tellus suco nutricat eodem,
Fouentur auris iisdem, eodem sydere.
Sunt duo, quæ uariant, cognata'q; germina pulchros;
Actus, color'q; diuidunt discrimine.
Hæc modo nata, latet prope cortice tota uirenti,
Tenuiq; rima tenera lucet purpura.
Hæc niuei tantum fastigia protulit oris,
Sensim at dehiscens turgidos rumpit sinus.
Exerit hæc totum discissa ueste mucronem,
Clausas minata iam comas euoluere.
Illa'q; lacteolos non dum exinuauit amictus;
Vix credit auris tam rudes adhuc opes,

Candida sed tenui suffunditur ora rubore,
Seu fratris hic est, siue sideris color.
Maxima ter seno foliorum gaudet honore,
Tyrio micantes explicans ostro comas.
Non sic lana rubet bis concha imbuta marina,
Non sic eos Phœbus emergens aquis.
Nec solum arridet pulchro uenientibus ore,
Lutcola sed iam pollicetur semina.
Hic meus Arcturus qui nomnis omine felix,
Virtute reddet, quem refert uocabulo.
Aspice quod speciem generosæ frontis in illo est,
Vt lucet oculis uiuidus mentis uigor.
Præcoqua nec tardam expectat sapientia pubem,
Præuertit annos indoles ardens suos.
Talis Iesides, illiq; simillima proles,
Hic cum timendas dissecat puer feras,
Hæc quando ancipitem potuit dissoluere litem,
Malamq; fraudem fraude docta prodere.
Proxima consequitur nymphe, quæ nomna ducit
Ab unione, Persica fœtu maris.
O mine delector, blando candore lapillus
Placet, pudore Margaritæ lacteo.
Hic teres est, nec inæquali leuore rotundus,
In Margaritæ moribus scabrum nihil.
Est noua cum liquido gemmæ cognatio cœlo.
Claret sereno sole, pallet nubilo.
At mea uirgo piis est addictissima diuis,
Cœlumq; maualt, quam uagum pelagus sequi.
Hanc qui cum sociis uidisset ludere nymphis,
Habiliq; fratrem, tela torquentem manu,
Aureus hic Phœbus, soror hæc argentea Phœbi est,

Per

Per ipsa iuret alma phœbi lumina.
Iam puer Henricus genitoris nomine lætus,
Monstrante fonteis uate Laurigero sacros,
Palladias teneris meditatur ab unguibus arteis,
Quam multus illi lucet in uultu pater.
Talis in Ascanio renitebat imago parentis,
Sic pulchram Achilles ore reddebat Tethyn.
Nescio quid Maria præclari spondet ab ipsō
Nunquam occidentis sideris cognomine.
Sed cunas Edmonde tuas quo carmine dicam?
Adeste plectris huc Sorores aureis.
Et puero fidibus placidos accersite somnos,
Ac fesceninis insonate uersibus.
Muneribus blandis cunabula spargite nymphæ,
Aggerite, quicquid est odori graminis.
Ambrosiam. Casiā. Caltamq; Thymumq; Crocūq;,
Et Syra Amōma, nec insuauem Amaracum.
Tum florum mille species, ac mille colores,
Sed plurima omneis inter ardeat rosa.
Hanc turbam, hanc niueam pulchris miscete corollis,
Gaudet paternis parua proles floribus.
Vos precor o puero date uellera candida Parcæ,
Eatq; fausto molle stamen pollicæ.

FINIS.

Erasmi Roterodami ad Gulielmum Copum Basilien
sem De senectutis incommodis, Heroico car-
mine, et Iambico dimetro catalectico.

Nicat nobilium mediocrum gloria Cope,
Seu quis requirat artem,
Siue fidē spectet, seu curā, in quolibet horū,